



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomæ

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Cap. 22. Possitne dari causa prædest. ex parte actus diuinæ voluntatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

August.

Docet, prædestinationem Pauli fuisse hoc modo ad effectum productam per orationem Stephani. Quæ fuit etiam sententia Augustini, q. 2. lib. 1. ad Simplianum, & serm. 1. & 4. de S. Stephano. Ex quo exemplo constat, vocationem Pauli fuisse effectum orationis Stephani. Vnde idem Augustin. de Bono perseuer. cap. 22. generatim ait, Si qui sunt nondum vocati, pro eis, vt vocetur oremus, fortasse enim ita prædestinati sunt, vt nostris orationibus concedantur. At vocatio solet esse primus prædestinationis effectus, qui in ipsomet prædestinato fit: ergo potest vnus esse causa prædestinationis alterius quoad huiusmodi effectum primum. Ratio autem est, quia licet hic effectus respectu eius, in quo recipitur, sit illa primus, vt in illo gratiam non supponat, & ideo non possit cadere sub meritum eius, tamē in altero supponit gratiam, & ideo potest cadere sub meritum alterius: nam homo Deo gratus non solum sibi, sed etiam alijs potest mereri, saltem de congruo.

5. Dub. modis aliquis donum gratia mereri potest aliter.

Altero vero pars in primis declaratur, quia duobus modis potest quis mereri alteri aliquod donum gratia, primo immediate, & in se, quomodo dictum est meruisse Stephanum Paulo vocationem: secundo in radice, quomodo idem Stephanus meruit Paulo omnia bona, quæ post vocationem operatus est, quia omnia duxerunt originem ex vocatione: non meruit autem Stephanus Paulo omnes spirituales gratias, quas postea in discursu vitæ recipit, immediate, ac in seipsis, quia nec pro illis omnibus impetrandis in particulari orauit: nec necesse est, vt D. E. V. S. intuitu meritorum Stephani dederit Paulo omnia, & singula bona gratia, quæ illi contulit. Eademque ratio, & proportio est de quolibet puro homine respectu alterius, etiam si Beatissima Virgine pro alijs orante, aut promerente sermo sit. Nam licet sancti interdum per exaggerationem dicant, omnia gratia beneficia per Virginis intercessionem nobis concedi, non est tamen de hoc certa lex, ita vt hoc medium sit ex lege necessarium, licet ad omnia, & singula possit esse vtilissimum, & D. E. O. gratissimum, quod sancti maxime intendunt.

Per Beatissimam Virginem gratia non solum conceditur.

6.

Inter Christum & purum hominem, quod Christus ex certa, & infallibili lege Dei, ita est causa totius prædestinationis aliorum hominum, vt omnes, & singuli effectus eius, non solum in radice, sed immediate & in se conferantur intuitu meritorum eius, adeo vt ipsa etiam gloria, quam vnusquisque meretur sibi de condigno, detur etiam proximè, & immediate, altiori que ratione propter Christi meritum: quod totum in dicto 1. tom. ostensum est. At nullus homo purus potest sic mereri alteri omnes prædestinationis effectus, ideoque nullus dicitur proprie mereri alteri simpliciter prædestinationem. Ac propterea congruentissime dixit D. Thom. posse vnus prædestinationem alterius orationibus iuuari, non tamen fieri. Alia differentia est, quia purus homo non meretur alteri de condigno, nedum de iustitia rigorosa, sed tantum de congruo, vt ex 1. 2. q. 114. constat, Christus autem non solum de condigno, sed etiam de iustitia rigorosa nobis prædestinationem meruit, vt in 3. p. quæst. 1. artic. 2. & quæst. 19. late ostenditur.

Secunda differentia est a congruo, vt in 3. p. quæst. 1. artic. 2. & quæst. 19. late ostenditur.

7. Aliter dicitur.

Deniq. potest alia differentia assignari, quia purus homo, Stephanus, verbi gratia, ita meruit vocationem Pauli prædestinati, vt nihilominus ipsamet oratio, per quam Stephanus id meruit, fuerit effectus prædestinationis Pauli, quatenus ordine rationis antecedit in mente DEI ad omnia merita Stephani, vt paulo post videbimus. Et ita licet illa vocatio esse potuerit primus illorum effectuum prædestinationis Pauli, qui in ipso Paulo recipiuntur, non est tamen primus simpliciter, quia oratio Stephani est prior, & illa connumeratur inter Suarez: De Deo trinuno.

effectus prædestinationis Pauli, non eorum, qui in ipso sunt, sed eorum, qui propter eum peculiariter fiunt. Eademque ratio est de quocumq. homine prædestinato, ad alium partum hominem comparato. At Christus ita meretur alteri vocatione congruam, quæ est prædestinationis effectus, vt tamen necesse non sit, ipsum Christi meritum, vel principium, a quo procedit, esse effectum prædestinationis Pauli, vel alterius similis: quia Christi meritum se habet vt vniuersalior causa, quæ ex altiori, quadam prædestinatione nascitur, vt capit. vltimo amplius declarabimus.

CAPVT. XXII.

Positne dari causa prædestinationis ex parte actus diuinae voluntatis.

Hactenus dictum est de causis prædestinationis quoad eius effectus, nunc videndum est, an possit prædestinatio habere causam aliquam, vel rationem ex parte ipsiusmet actus inantis in Deo, quod si potest illam habere, deinceps inquiremus quanam sit illa. In hoc ergo certum in primis est, si proprie, & in rigore loquamur de causa realiter influente non posse dari causam diuinæ prædestinationis, quia nec reprobationis, nec alicuius diuini actus dari potest: Et ratio est, quia actus diuinæ voluntatis in creatis, est immutabilis, & æternus, & ideo nullam veram, & realem causam habere potest, etiam æternam, nedum temporalem. Atq. hoc est, quod D. Thom. & omnes Theologi supponunt tamquam manifestum in hac materia. Tamen loquendo latius de causa, prout dicit quancumq. rationem, vel conditionem obiectiuam, sic locum habet quæstio hæc circa prædestinationem ex parte actus diuini. Nam consistit prædestinatio in actibus præscientia, & voluntatis liberæ Dei, vt supra vidimus est. In libro autem Dei actu duo considerare possumus, vnum est existentia illius actus quoad totum suum esse reale, & sub hac ratione hic non consideratur, nec habet locum quædam quæstio, quia talis actus vt sic, non est liber, sed necessarius, & ita nullam potest habere causam, vel rationem ex parte creaturæ libere operatis. Alio vero modo spectatur ille actus, vt libere terminatus ad effectum creatum, & quoad hanc determinationem (quidquid illa sit) locum habet quæstio, an habeat rationem aliquam obiectiuam, vel motiuam ex parte hominis.

Proprie non datur causa prædestinationis diuina

In actu libero Dei duo considerari possunt.

Nam quod possit illam habere videtur probari. Primo in præscientia futurorum, nam præscit illa D. E. V. S. quia futura sunt, vt communiter Patres loquuntur, quos retuli libro primo de Auxilijs, cap. 13. & lib. 3. capit. 5. Ergo ipsa futuritio, seu veritas talis propositionis de futuro est ratio obiectiua, ob quâ scientia diuina terminatur ad talem effectum, quod si res sit futura in prædestinatione diuinæ voluntatis, tunc ipsa voluntas est ratio obiectiua diuinæ scientia. Quo sensu dictum est ab Hilario, libro nono de Trinit. Deum præscire futura, quia vult illa, vt latius adnotauit, & exposui libro 1. de Scientia futur. capit. quinto. Atque hoc maxime contendit Augustinus in hac materia, cuius sensum perceperat Prosper, quamquam vt ab ipso amplius confirmaretur, ab eodem Augustino interrogat in epistola ad eundem, tomo septimo, ante lib. de Prædestinatione Sanctorum, circa finem. An per scientiam stet propositum. (vt Massilienses dicebant) an verò Præscientia sit subiecta proposito, vt ipse sentiebat. Augustinus autem hanc posteriorem sententiam confirmat toto libro de prædestinat. Sanctor. præsertim cap. nono & 10. & lib. de dono perseuer. præsertim cap. 18. & 19. & epistola 105. & 106. & sæpe alias. Idemque sentit Hilarius in epistola ad Augustinum. Non sentiunt autem esse necessarium, vt semper præscientia

2. Dubij ratio.

Hilar.

Prosper. August.



in præfinitione fundetur, sed solum interdum, & maxime in prædestinationis in illa fundari. Nam ex eisdem Patribus constat, posse interdum præscientiam esse de his, quæ prædestinata non sunt, si cum sola permissione futura sint, ut docuit idem Augustinus libro de Prædest. Sanct. cap. 10. & lib. 5. de Civit. cap. 9. 10. & 11.

3. Rursus ex parte voluntatis potest dari ratio obiectiva liberæ determinationis Dei: de qua re multa alijs locis dixi, præsertim 3. p. tom. 1. circa quæstionem 19. & Relect. 1. Et tractatur etiam 1. p. quæst. 19. artic. 5. Quia tamen est necessarium fundamentum huius materiæ breuiter confirmandum, & explicandum est. Ita ergo sentit Diuus Thomas hic art. 5. ad 3. & 1. contra Gentes, capit. 82. ad 4. rationem, & cap. 86. vbi Ferrar. & in cap. 87. Item Capreol. in 1. d. 41. q. 1. art. 2. ad finem, vbi Durand. q. 2. n. 5. ait. Vnam volitionem liberam Dei esse rationem alterius, nostro modo intelligendi, sicut vnum attributum, est ratio alterius, & idem sentit ibi Gabriel q. vnica in princip. & Gregor. qu. 1. artic. Marfil. in 1. qu. 41. art. 1. Alens. 1. p. quæst. 28. memb. 3. artic. 3. Et ratione declaratur, quia Deus vult vnum obiectum vt finem, & aliud vt medium ad illud: ergo illud quod est finis, est ratio volendi aliud. Item Deus vult aliquid supposita aliqua conditione ex parte creaturæ, quod non vellet, illa non supposita, ergo illa conditio est aliquo modo ratio obiectiva talis voluntatis. Antecedens declaratur in naturalibus: quando enim DEVS creat animam rationalem in hominis generatione, non creat illam, nisi quatenus corpus iam perfecte dispositum illam requirit, & suo iure exigit: ergo illa corporis dispositio est ratio obiectiva, inclinans voluntatem Dei, vt hic, & nunc velit animam creare. Euidētius autem id constat in moralibus, vult enim Deus dare, quod petitur, quia petitur in vi promissionis ab ipso factæ: Vult etiam conferre præmium ratione meritum: illa ergo obiectiue determinat voluntatem Dei ad præmium conferendum. Id quod clarius est in redditione penarum, quas DEVS non vult ex se, sed à nobis prouocatus, vt ait Damascenus libro secundo de fide capit. 29. & 30. Ergo demerita hominis determinat obiectiue voluntatem Dei, vt velit illa punire. Determinare autem dicimus, non inferendo necessitatem, sed quantum est ex se mouendo, & inclinando, vt Diuus Thomas loquitur 1. contra gentes cap. 82.

4. Responderi solet ad hæc, & similia argumenta, recte probare vnum effectum voluntatis esse causam alterius, non verò esse obiectiuam rationem diuinæ voluntatis, quæ vno simplicissimo actu vult vnum esse propter aliud, aut esse dispositionem ad aliud, & cetera. Sed hoc nulla ratione satisfacere potest, quia hæc causalitas vnus effectus respectu alterius non est, nisi media voluntate diuina, inclinando illam ad talem effectum, vt v. g. oratio est causa effectus postulati, non quia per se, & immediate efficiat illum, vt per se constat: sed quia inclinatur diuinam voluntatem ad illum faciendum, quod Scriptura aliquando explicauit his verbis, *Obediente DEO voci hominis*. Et ex humanis intelligi potest, nam qui ab alio petit elemosinam, in tantum est causa elemosynæ: in quantum inclinatur voluntatem alterius, nec potest talis causalitas aliter intelligi. Et ita illam explicat Diuus Thomas 2. 2. quæstione 83. articulo primo. Idem que fere est in omni causalitate morali, qualis est in merito, vel demerito & etiam in dispositione morali: ergo si Deus vult causalitatem illorum effectuum inter se, vult etiam, vt in vno eorum, v. g. in merito, sit sufficiens ratio, ob quam voluntas eius determinetur, saltem ordine executionis ad volendum alium effectum.

5. Ratio autem à priori est, quia non solum non re-

pugnat diuinæ perfectioni, verum etiam est maxime consentaneum, & necessarium ad infinitam perfectionem eius. Prior pars constat primo, exemplo scientiæ, in qua hoc inuenitur sine vlla imperfectione: Secundo, quia vnico simplicissimo actu potest Deus hæc omnia velle sub quacumque ratione in ipsis rebus inuenta, & conformi diuinæ sapientiæ. Vnde etiam patet altera pars, quia ad perfectionem DEI spectat regulare (vt nostro modo loquamur) suos actus liberos per suam diuinam sapientiam, vt recte dixit D. Thom. 1. p. q. 21. art. 3. Pertinet etiam ad perfectionem Dei, iustitiam distributiuam, aut punitiuam, fidelitatem, misericordiam, liberalitatem, & similes virtutes in suis liberis actibus exercere. Hæc autem fieri non possunt, nisi consideratis in obiectis varijs conditionibus, & rationibus eorum, quæ hunc vel illum modum voluntatis postulent, & hoc ipsum significamus dicendo, in obiectis ipsis reperiri aliquas rationes diuinarum voluntatum. Neque in hac veritate aliquam difficultatem inuenio: nam hæc non est vera causalitas, vt repugnet DEO, sed est conditio præsupposita ex parte obiecti, quæ nihil repugnat, quia talis conditio non supponitur absolute ad omnem DEI voluntatem, sed ex vna supponitur ad aliam ratione distinctam.

Ex his ergo principijs in præfenti materia concludimus, necessarium esse inquirere, an diuinæ prædestinationis ex parte diuinæ voluntatis, vel præscientiæ, vt terminatæ ad prædestinationis effectus, detur aliqua causa, quæ sit ratio obiectiva ex parte hominis. In qua quæstione omnes Theologi videntur sentire. In ordine ad diuinam voluntatem exequentem, sæpe posse dari rationem prædestinationis. Quia potest dari causa aliquorum effectuum prædestinationis, qui non fiunt, nisi per diuinam voluntatem, vt ad ipsos terminatam: ergo illa eadem causa gloriæ, vel gratiæ, id est, meritum gloriæ, vel dispositio ad gratiam erit ratio voluntatis diuinæ, prout determinatur ad illas præstandas. Atque hoc sensu dixit Augustinus lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. aliquam electionem æternam ad gloriam esse ex præscientia meritum. Sic etiam dispositio vltima ad gratiam à DEO præuisa fuit ratio, ob quam ab æterno decreuerit gratiam iustificantem infundere, & sic de alijs medijs, quæ possunt habere huiusmodi rationem. Duo verò manent sub controuersia. Vnum est, an in omnibus medijs prædestinationis possit inueniri aliqua huiusmodi ratio diuinæ voluntatis. Aliud est, an in illius effectibus, in quibus inuenitur, sit hæc prima ratio prædestinationis eorum, vel potius hæc ipsamet causa proueniat ex alia priori prædestinatione talium effectuum: quæ duo in sequentibus tractanda sunt.

CAPVT XXIII.

An ex parte hominis electi dari possit causa, vel ratio prædestinationis secundum se, seu quoad liberam determinationem æterni actus.

Principio supponendum est ex Durando in 1. distinct. 41. quæst. 2. quamuis sit disputatio inter auctores, in quo actu intellectus, vel voluntatis formaliter consistat prædestinatio: tamen cum agitur de causa prædestinationis secundum se omnes conuenire, dispositionem reuocandam esse ad actum voluntatis. Et ratio est, quia præscientia intellectus de re absolute futura solum per modum simplicis notitiæ, siue sit per modum scientiæ approbationis, siue sit per modum imperij, semper supponit actum voluntatis, & illo supposito, non

D Thom.
Ferrar.
Capreol.
Durand.

Gabriel.
Gregor.
Marfil.
Alens.

Rationes.

D Thom

6.
Ex diuina
lectio.

In diuina
voluntate
causante
potest dari
causa prædesti-
natis.

August.

Quæ ma-
neat sub
controuersia.

Prima

1.
Durand.
In quo
formaliter
consistat

Chil-
des R. sub
Mason